

NOBILIS POLONI,  
DE  
STATU MODERNO  
REIPUBLICÆ,  
JUDICIUM.

---


V.  
ANNO M DC LXXVII.<sup>mo</sup>  
INEUNTE. ✓

XIII.

— 18 —

E. XVIII

657/8  
m. 100



## Xpensis, quæ nunc a-

gitantur passim publicè privatimque in Repub. consiliis , tum & animorum ad ea habitu , magis Eidem metuo post pacem cum Turcis factam , quām cum bellum flagraret . Fuit procul dubiō grave & atrox ilud bellum , quod accisis rebus suis , nudata externis auxiliis Respub. cum Christiani nominis Hoste gessit : sed non minus tristis ac luctuosa pax , pro quā redimendā maximis & fertilissimis Provinciis Respub. patrimonii sui antiquissimā parte , aeternū mulctatur , nec Cameneciō tantū ab Hoste captā , sed & Barō , Mydzibocō , aliisque plurimis munimentis , Reip. Ante-muralibus , nostrō hacētus præsidio infessis , decadere cogitur . Duram tamen hanc , ac Reipub. nunquam non deplorandam pacem , beneficium suum jactitant Galli , nec frustrā id esse tum ex eō constat , quod de conditionibus pacis Constantinopoli , annitente Oratore Gallicō , conventum sit duos menses antē , quām in Poloniā publici juris fierent , tum etiam quod à nonnullis , qui consilio rum in Aulā participes fuerunt , jam mense Septembri prædictum sit , pacem à Rege 17<sup>mō</sup> die Octobr. conclusumiri ; Dictum eventus probavit , & quæ Pacis fabula jam ante in Thraciā à Ministris Gallicis erat composita , nullō negotiō scenam in Poloniā implevit .

Evidem si id tantō conatu egisset Gallia, ut pace cum Turcī initā, à violentis tot motibus ac bellis, quibus haētenuis jaēta, respiraret Respub. ut exhausta penitus ac viribus defecta Spiritum tandem reciperet, non frustraremur suis Eam laudibus, & quod nunc Nobis imputare nititur beneficium, agnosceremus. Sed cum id unice per subitam hanc pacem spectasse palam sit, ut Polonorum arma ē Turcicō bellō in Imperatorem & Electorem Brandenburgicum, graves ipsi ac Sveco-Fœderato Hostes, convertat, ut gladium ē cervicibus Barbarorum depulsum in Christianorum detorqueat jugulum, ut pro æternō Christiani ac Poloni nominis hoste, Amicos, Vincinos ac Fœderatos Reipub. impetat, ut reliquum sanguinis Poloni, reliquum fortunarum, ac tandem libertatem ipsam, ultimum Reipubl. bonum pro suō prodigat dominatu, ut non finiat, sed mutet bellum, & pro piō impium substituat; quis ferat intempestivam hanc Gallorum pietatem, quæ nunquam minūs sincera aut gratuita, quam cum talis videri vult?

Et haētenuis quidem Gallici Svedicique Ministri tortuosa sua consilia per occultas artes, per Caimeræ secreta, incautis Civium nostrorum insinuare tentaverunt animis; Nunc & in lucem producere eadem non verentur, & publicè privatimque variis artibus nostrorum studia ac vota prensant; Quod ut melius succedat, fingunt Regem ipsum, Optimum Principem, & non sine præfatione honoris mihi nominandum, suis illigatum teneri consiliis, quā sanè re incredibilem ipsi conflant invidiā, apud me fidem non inveniunt. Est utique Polonus, spiritum, quem ipsi Respub. mutuavit, Reipub. non Galliæ debet, nec patrium Diadema, quō cinctus, beneficium Galliæ est, sed Civium suorum, qui Virtutis ipsius, sceptrō dignæ, non Galli ci suffragii rationem habuerunt: His etiam solis, non Extborum libidini, debet omnem vitæ rationem, consilia, actiones. Quis credat, tantum Principem suorum sanguinem, fortunas, vitam, & quicquid carum mortales habent, Externæ Gentis ambitioni post habiturum? Vilscā-

Viscata Gallorum beneficia, qualiacunque tandem sint  
 nimium, non tantum Reipub. sed & Regi ipsi ac Stirpi Regiae  
 constabunt, si tanti erunt emenda. Quae nam injuria, vel-  
 le, ut Rex ab ipsorum Consiliis, nutu, arbitrio pendeat? Ut  
 illorum partes, etiam injistas, etiam cum Reipub. subversio-  
 ne conjunctas, ubique amplectatur? Ut internecini istius ac  
 aeterni odii, quod Gallos inter & Austriacos est, contagium  
 in Nos derivet? Adeone Hostes erunt Regi ac Reipub. in-  
 quo scunque ambitio Gallica ferrum stringit, etiam Amici,  
 federati, nec ullius in Regem aut Rempabl. injuriæ Rei?  
 Hæc si Nos fors maneret, num deterior Tartarorum, qui ista  
 lege Imperio Turcico obnoxii sunt? Horruimus Tributarii  
 esse Turcae, & merito, sed hâc ratione pejus quid erimus,  
 quam Tributarii Galliae. Et superiore & hōc ævo Gens no-  
 stra in electione Regum prudens Candidatos præterivit, qui  
 cunque Exteris beneficio obnoxii, aut vero Eorundem æ-  
 muli ac Hostes habebantur, scilicet ut Rex creatus ab odio &  
 gratia aliena immunis, non nisi suorum caritate flagraret, nec  
 quicquam aliud, nisi Polonorum commoda, salutem, securi-  
 tatem cogitaret. Huic rationi ipse Rex, Piaſtus, ſceptrum  
 debet, hâc folâ illud in stirpem transmittet suam. Meruit  
 virtute suâ, ut in Eō nova stirps Regnatrix inciperet, hanc fir-  
 mabit, & ſceptro admovebit non aurum nec ambitus Galli-  
 cus, sed amor Nobilitatis Polonæ, quam prorsus alienari à  
 Rege ac stirpe Regiâ necessum est, si incolumentem suam  
 Exterorum consiliis ac caritatibus postponi ſentiat. Ecquis  
 enim ferat, aut suffragium suum commodet Candidato, odio  
 Vicinorum imbuto ac innutrito. Quicunque in ſpem Regni  
 apud Nos nascitur aut educatur, affectus ſuos Reipub. regen-  
 dos permittere, non amorem non odium fovere debet, ni-  
 fi à Repub. inditum aut probatum: Quod adeoque vel ipſi  
 Reginæ Gallica confilia ſucepta reddere deberet, si proprii  
 ſanguinis cura ac caritas illam tangat.

Et sane, si probè rem æstimare velimus, deprehendimus, Gallica molimina atque consilia in fausta semper, imò funesta Poloniae fuisse. Ne singula excutiam, memorandum in omne ævum contemptus Gallici erga Polonos exemplum præbet profectio, an fuga, Henrici Valesii, ad quam Majores nostri, Viri graves ac cordati tantâ exarserunt indignatione, ut jam tum de excludendis in perpetuum à Regni ambitu Candidatis, qui Galliæ suffragiis juvarentur, agitaretur. Ludovicæ Mariæ gesta quid memorem? de quâ eleganter Censor Dignissimus exclamat:

*Heu! quantum negotii fuit unâ cum muliere!*

Nunquam à Repub. conditâ tot Eandem turbæ ac intestina exercuerunt dissidia, tantum diffidentiæ ac discordiarum inter Proceres sparsum, ut vel inde non nisi summa omnium rerum confusio oriri, & Polonia scenam ac fontem omnium calamitatum suarum uni debuerit Galliæ. Non erubuerunt Galli pro Svecis contra Polonos stare, etiam ferente inter utramque Gentem bellô: nec major in tractatu Olivensi apparuit fides, ibi enim, quamvis accisæ inprimis res essent Sveciæ, Gallicis artibus effectum est, ut Rex ac Resp. juri in Regnum Sveciæ competenti renunciare, totâ etiam Livoniâ, Insulâ Oefeliensi, & magnâ Curlandiæ parte cogerentur decadere. Nimirum id agitavit semper Gallia, ut spoliis ac excidiô Poloniæ Sucus validior vires Austriae Domus facilius frangeret. Ipsas illorum blanditiæ ac profusiones, quibus in electione Regum hâc nostrâ ætate usi sunt, fallimur, si ex aliô fonte derivasse credamus, quam ut electo Rege, Gallicis partibus additô, haberent, quô Vicinis à Galliâ alienoribus metum ac terrorem ostentatione armorum Polonorum incuterent. Nec aliud in præsens tantô agunt conatu, ut non satis liceat Gallicorum, Svecicorumque Ministrorum audaciam, qui in ipsis Reipub. visceribus, in liberæ Gentis conspectu, belli pacisque jus usurpant, non fecus,

secus, ac si Parisiis vel Holmiæ essent. Vicinos, Cæsarem  
 in primis & Electorem Brandenburgicum Hostes Reipubl.  
 designant, & tantum non declarant, eoque fini summō im-  
 pediunt nisu, quo minus Paœta, sub auspiciis Regni firmari  
 solita, à Rege confirmentur. Ostenditur Hungaria, sedi-  
 tionibus agitata, & quæ sponte fasces Bethunio, Regiis au-  
 spiciis venturo, submissura dicitur; utque Polonis fucus fie-  
 ret, pro libertate ibi pugnari spargitur; Ipse seditiosorum in  
 Hungariâ Princeps, P. Wesselinus à Bethunio in literis Ei-  
 dem inscriptis, & in Hungariæ finibus interceptis, insignitur:  
*Supremus militantis Hungarica Libertatis Generalis.* Ab alterâ par-  
 te monstratur Prussia Electoralis, præsidiô nudata ac nutans:  
 promittitur Classis Gallica, in Balthicum mare trajectura, at-  
 que Pillavii & Mümmelæ claves Regi traditura. In ipsâ  
 nostrâ Prussiâ, Reipub. patrimoniô, aluntur cautè discordia-  
 rum fomenta, Liljenhöckiô Authore, qui fuscitatô atroci  
 plebis Gedanensis in Senatum odio, illam vel cum dispendiô  
 libertatis Regiam aucupari gratiam docet. Regi promit-  
 titur ingens pecuniæ vis ad bellum Vicinis inferendum; nec  
 ullis parcitur blanditiis, muneribus, profusionibus: Etiam  
 vanissima honorum ac titulorum in scenam vocantur: Jam  
 Ordo Sancti Spiritûs, Nemini Regum Coronatorum ante-  
 hac oblatus aut acceptatus, cuius leges pro dominatu Re-  
 gum Galliæ stabiendi conceptas quis ignorat? Jam titulô  
 F I L I Æ F R A N C I Æ Regina post coronationem insi-  
 gnita, quæ tum temporis par & Æqualis Reginæ Franciæ,  
 adeoque superior Filiæ Franciæ habenda. *Quid de Co-*  
*mitatu Riuiensi, à Rege Christianissimô in Ducatum ac Pa-*  
*tiam Franciæ in gratiam liberorum Regiorum erecto? cui*  
*tamen titulus ac fundus Principum Poloniae longè præfe-*  
*rendus.*

Non minore ambitu, majoribus etiam opum ac ho-  
 norum stimulis Ordo Senatorius atque Equestris sollicitan-  
 tur.

tur. Nolo cuiquam meorum Concivium gravis esse, ea com-  
memorandō, quæ lucem fugiunt, quilibet sibi ipsi testis ac  
judex esto. Evidem non adeo infelicem se Respub. sentit,  
ut nec hodieque adgnoscat Veros ac Genuinos Cives suos,  
antiqui moris & in primis libertatis tenacissimos, qui ut nu-  
per oblatum à Bethuniō Ordinem, ita alias etiam opum atque  
honorum illecebras libertatis amori, ac patriæ saluti postha-  
bent, magnoque contemnunt animo: Sed nec alios deesse  
dolet, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi sua vul-  
nera Reipub. malis operire satagunt, nec quicquam spei nisi  
per discordias & incerta turbarum habent. Sanè quamdiu  
nostris viximus moribus, absque injustâ spe ac ambitu, nostrâ  
contenti libertate, nil quicquam Reipub. defuit, non opes,  
gloria, honores, concordia, non omnium denique rerum fa-  
tietas quædam. Nunc cum insana opum libido, quæ seculi  
mores adflicxit, etiam Rempub. vitiis suis, quasi sentinâ, mer-  
sam traxerit; cum rapacissimus quisque ac perditissimus pu-  
blicâ ruinâ malit, quam suâ proteri, quid aliud nisi omnium-  
eversionem legum, ac libertatis interitum expectamus?

Stupebit posteritas, stante adhuc dum Repub. absque  
ejus scitu aut præscitu, tantum licuisse Bethunio, ut in ipso  
Cracoviæ ambitu Regis Christianissimi sumptibus militem  
auctorare non sit veritus? frustra habitis ac spretis Optimi  
Antistitis dehortationibus. Usque quo Poloni tam grande,  
patientiæ documentum dabitis, & Luparenia Confilia Crâ-  
coviae, Varsaviæque agitari patiemini? Non ad turbas vos  
concitare animus est, quin potius, cum Gallici Svedicique Mi-  
nistri res turbatas velint, ad concordiam & quietem, Reipub.  
tam utiliem tam necessariam Vos vocem.

Et quæ Nos ad bellum cum Vicinis suscipiendum pro-  
pellere possent causæ? has enim adesse decet, nisi Barbaro-  
rum imo ferarum ritu in bellum ruere velimus. Quicquid  
Gallici, Svedicique Emissarii blaterent, tam Imperator, Prin-  
ceps

ceps Justus & Pius, quam Elector Brandenburgicus, beneficiis potius Genti nostræ quam injuriis cogniti sunt: Si quid superesse spargitur litium, aut ab Infestis confictum, aut tanti non est, ut Christiano cruore expiari, quin potius ipsæ prætensiones, quas Rempub. adversus Electorem Brandenburgicum habere non ignoro, amicâ disceptatione inter Amicas, Vicinas ac fœderatas Gentes sopiri debeant. Vera & unica causa est, sed quæ studiose tegitur, quod Galliae, Sveciæq; interfit, Imperatoris vires, Gallis in Alsatiâ graves, Electoris verò arma, Svecis in Imperiô ac Pomeraniâ funesta, distrahit: Hunc ut obtineant scopum, Rempub. in casum dare, omnia civilibus furoribus miscere, ipsa divina humanaque jura evertere, Polonorum sanguinem ac fortunas belli injuriis exponere, imò suo dominatui impendere non erubescunt. Non eredet Posteritas, vixisse unquam in libera Repub. quibus hæc non ignorata, & tamen tolerata, nolle dicere, etjam probata fueré. Ite Poloni, pugnate Gallis ac Svecis, hoc unum ad evincenda rerum humanarum ludibria deerat, ut sciatur, Polonus venalem sanguinem pro Svecis, quô infensiorem Hostem Respub. nullum experta est, prodegitiss. Longè alter olim Ludovica Maria, quæ missa ad Electorem Viro Illustri, ingentibus illum præmiis & promissis ad bellum Svecis in Pomeraniâ inferendum sollicitavit, gratiùs id Reipubl. futurum asserens, quam si Thorunium atque Elbingam, quæ tum Svecicô præfidiô tenebantur, recuperaret. Nunc pugnabimus, ut Pomerania Svecis servetur, ne deinceps illis adhuc semel Rempubl. invadendi, & Prussiæ Portibus insidiandi opportunitas desit.

Sed quid de causis belli solliciti sumus, si tam facilis tam certa victoria, quam Galli ac Sveci Nobis promittunt, Ne fallamur, & hic Nobis venditur fumus. Expendamus nostras ac Vicinorum vires, priusquam in arenam descendamus: Nos continuis bellis attriti, Viris, armis opibus exhausti,

hausti, Pacem ac quietem, ad recuperandas vires anhelantes, vix tutandæ Reipub. sufficimus. Nullus Ordo, ne sacer quidem à belli sumptibus immunis; adhucdum omnes & singuli sub hospitationis militaris onere ingemiscunt, ac tantum non deficiunt; quid fiet, si novò ac inextricabili bellō ultimum effundere spiritum cogantur. At belli sumptus Rex Christianissimus largiter offert; Heu! miseros nos, quotusquisque inde aliquid percipiet? quis hospitationum, quis hybernorum persolvet incommoda? pretium verò fortunatum nostrarum ab Amicis aut hostibus raptarum, violati item pudoris Uxorū ac liberorum nostrorum unde accipiems, ut innumera alia belli mala taceam! Sed adhuc aliud succurrit: Si reliquæ Regni vires in Hungariam ac Prussiaam raptentur, quis Reipub. illud latus, quod Turcis ac Tartaris, jam in visceribus nostris hærentibus objectum, eorumque injuriis ad Vistulam usque expositum est, tutabitur? quis alterum, quod Moscho objacet, cum quô pactæ induciæ intra biennii spatiū effluunt, qui jam tum ob firmatam separatim cum Turcis pacem male animatus, Amicorum ac fœdere junctorum causæ haud defuturus videtur? Quam. egregiè verò cum Repub. ageretur, si pro Gallis Svecisque pugnandō, defessa tandem ac exsanguis nationi Barbaræ prædæ futura esset.

Illos quoque, in quos armari Nos volunt, ne ignoramus, sunt Amici, Vicini ac fœderati Nostri, nec lædentes nec læsi; Imperator, Optimus Princeps, tot affinitatum ac fidæ vicinitatis vinculō, Elector etiam nexus singulari fœderis æterni cum Repub. conjunctus, quô semel violatō, æternas turbas, ac bella ex bellis inde oriri necessum est; Hactenus quidem singulari DEI providentiâ latus illud Reipub. quod Principum Germanorum Ditionibus objacet, amicum & tumultu fuit, ibi securitatem ac præsidium adficta invenit: petitæ inde auxilia, ac bis ab Electore hōc bellō Turcicō submissa,

missa, plura etiam submittenda, uti interpellatus toties ipse  
 declaravit, si per Svecum licuisset: Quod si & illud ad Exte-  
 rorum libidinem infestum Nobis reddemus, quid, quæso,  
 infelicius erit, Gente nostrâ, inter infensissimos undique po-  
 pulos miserrimum ac precarium trahente Spiritum. Sed  
 nec vires ad repellendam injuriam Iis desunt; Utrôque Prin-  
 cipum integris ac magnis exercitibus, hactenus vincere sue-  
 tis, & quod magis est, justâ causâ, suffultô, quæ quantum  
 in bellô momentum habeat, Svecia ipsa recentissimô Nos  
 docet exemplô. Demus verò, primos Nostrorum impetus  
 adversus incautum ac nihil tale metuentem, alibi etiam oc-  
 cupatum Hostem prosperos futuros; Sed quid tûm, si Cæsar  
 tanta subnixus potentia, copiarum partem à Rhenô, ubi ha-  
 ctenus pro gloriâ potius, quam pro finibus pugnavit, ad sua  
 tutanda aduersus Nos rapiat? Si ab alterâ parte Elector Bran-  
 denburgicus, cum infestô exercitu in Majorem contendat  
 Poloniâ, id quod factu ipsi facillimum est, devictis jam in  
 Pomeraniâ Svecis, præcipuis ibidem munimentis in potesta-  
 tem redactis, ipsâ Urbe Stetinensi ita arcte undique inclusâ,  
 ut vel citra obsidionem ad instar Stadæ legem acceptura sit.  
 Siccine citra ullam causam Devictis Nos applicabimus, ut  
 simul cum illis præcipites agamur? Quid si Fœderati Prin-  
 cipes, Belgæ, Dani, Universa ferè Germania auxilia submit-  
 tant; id enim non magis ex fœderum, quam ex belli & Sta-  
 tûs ratione facere tenentur, & facturos, ipsa docet in felix  
 Svecia? Si tandem, quod caput omnium malorum, & ine-  
 vitabile est, ipsa Polonia, studiis ac factionibus scissa, in par-  
 tes trahatur, & Nosmet ipsi furore civili in propria sœviamus  
 viscera? Quos tum plausus piis conatibus daturam putatis  
 Galliam Sveciamque, cum Polonô sanguine suum se rede-  
 misse, & gladium à propriô jugulô amotum in Reipub. visce-  
 ra impressum sentient? Quod si adeò sedet, proferre Reipub.  
 fines, longè facilius non ita pridem monstrata victoria, in-

occupandâ & ad antiquum Reipubl. patrimonium, unde injuste avulsa fuit, reducendâ Livoniâ: Sed id Gallicis Svecicisque rationibus adversatur, adeoque incerta & ancipitaria, quam tuta ac honesta malumus.

Sed minùs fortè periculi suberit, si non utrumque simul, sed alterutrum ex iis aggrediamur; aut si non publico quidem Reipubl. nomine in bellum descendamus, sed simulatè & connivendo, sive id fiat per confœderationem exercitūs, sive per Gallicos Svecicosque Ministros, militem Polonum à Rege & Repub. exauctoratum suô iterum ære conducturos, suisque non Reipubl. auspiciis in Hostem ducturos: Hoc enim mirè placere cautoribus nonnullis, qui jam tum prævident, nunquam Rempubl. in tam inauspicatum, consensuram bellum, compertum mihi est. Heu, quantò conatu decipi amamus! Incautum facile fefelleris Hostem, non æquè gnarum, & artes veteratorias, quibus impetitur, edoctum. Num Cæfarem atque Electorem Brandenburgicum, quos arctè adeò fœderum nexus, sed arctius adhuc idem utriusque Hostis stringit, sejuncturos fese putamus in pari causâ, quia fortè ita Nobis expediret? Nec Cæsar à Svecis impetus est, & tamen non cessavit in illos pugnare: Scilicet præstat junctas vires Hosti opponere, quam expectare, donec unō devictō alter etiam subigatur. Jam verò quæ de Confœderatione Exercitūs, de Polonō milite sub auspiciis Gallicis Svecicisque bellaturō agitantur, Gallicis quidem Svecicisque moribus digna sunt, indigna prorsus Polonorum Gente, ac indole, quæ erecta & decoris avida nescit alienis auspiciis sanguinem & arma sua voyere. Sed & inutilis ista cautiō; nam ecquis Vicinorum dubitabit, cum Bethunium Liljenhöckiumque solō familiō suō in Poloniā comitatos, subitis exercitibus incedere consipient, Polonum istum militem esse, Polona arma, & venalia? Num minorēm inde adversus Gentem nostram indignationem conceputuros

pturos credamus? Quicunque permittit, quod prohibere,  
aut cavere potest, jubere censetur. Unde iactus venit, eò  
repellendus; è Poloniâ Hostis, in Poloniâ debellandus; nec  
aliud quicquam inutili hâc efficiemus arte, quam ut ipsimet  
Nos propriâ damnemus confessione, pudendaque arma no-  
stra prodamus, quæ tot involucris tegi debeant. Sigismun-  
dô III<sup>tiō</sup>. Regnante Lissovius quidam Rege connivente, abs-  
que Reipub. scitu, Imperatori Matthiæ, Hungaricis, Bohe-  
micisque motibus fere oppresso, sex aut septem millia Equi-  
tum Polonorum adduxit auxiliatum. Quamvis causavide-  
retur justa, Imperatore, Regis Affine in ipâ Viennensi Urbe  
à subditis obfessô, tam indignè tamen tulit Respub. se insciâ id  
actum esse, ut in plenis Comitiis Regem coegerit, Lissovium,  
& omnes, qui ipsum sequuti erant, infamiâ notare. Recte  
id à Repub. dignitatis pariter ac libertatis suæ tenacissimâ. Nu-  
per, tamen idem, mallem & eodem exitu, tentare ausus est  
Ribinscius quidam, quamvis impari & contempnendâ manu,  
cum tamen pessimi res sit exempli, & gravissimos jam non mi-  
nis M. D. Lithuaniae Statuum, quam Vicinorum conciverit  
questus, meritâ non debet carere vindictâ.

Et sane nisi sedulò ac summô studio id præcaveat Res-  
pub. hisce artibus imprudens, & nihil tale cogitans, damno-  
fissimo se ac exitiabili implicitam sentiet bellô. Proceres in-  
primis ac status Majoris Poloniae, terrarumque adjacentium,  
in quibus solis post devastatas Poloniae Minoris atque Rus-  
sie terras, spem suam præcipuam Respub. repositam habet,  
de suo hic potissimum coriō, quod ajunt, ludi credant; nec  
enim Vicini Princes Germani bellô impetri possunt, quin-  
totum hunc tractum, etiamsi ab hostili invasione nullus es-  
set metus, per transitus atque hospitationes militares fundi-  
tus everti atque vastari necessum sit.

Quotiescumque bellum suscipitur, spes aliqua subesse  
solet, seu ulciscendi injurias illatas, seu alterius alicujus com-

modi: Nos verò ex hōc cum Cæsare & Electorale bellō, si  
ve vincamur , sive vincamus certissimum atque ultimum  
manebit exitium. Nam si vincamur, prædæ hosti erimus  
& Respub. jam plus satis finibus imminentia, iterum aliquō sui  
membrō mulctabitur: Si vincamus , libertas periclitatur,  
quā amissā, quid de reliquis solliciti sumus? Polonum me  
agnosco , nemini veneratione ac fide in Regem cedo, sed cre  
dula ac suspicax est libertas , & castæ Virginis instar vel folō  
adspectu lēditur. Quid futurum putamus, si ad incitas red  
actis etiam Poloniæ Majoris Statibus, tota Prussia unius Do  
minio subjiciatur. Stante adhucdum Respub. vix Poloni  
adhibemur ad consilia, & si quando rogantur vota, in speci  
em id magis fit, quam ut attendi debeant: Nec fucum  
faciat, quod in præsens regiō hospitiō excepti sint præcipui  
Proceres; Suspectum id, qvia insolitum, quia domestici am  
bitūs speciem habet. Quod si vota nostra minus ex votō  
Aulæ , aut iram aut contemptum excitant. Exteris vero  
in primis Gallicæ Gentis major fides atque authoritas ad il  
lorum nutum omnia : an defutura secreta ipsorum consilia,  
volentium potius, ut libertas Principi , quam Princeps se li  
bertati attemperet? Regnantis potentia alibi fortassis fertur,  
quia respui non potest, Polonis intolerabelis est, quorum  
Rex, quantum satis , potest, sed nihil fine Polonis posse debet.

Videtis pericula , quæ imminent; monstrabo reme  
diū facile ac tutum. Agitur in præsens Conventus o  
mnium Ordinum: Hi, si Rempub. salvam velint, Concordes  
inter se, omnibus sepositis affectibus agant; Ante omnia de  
cernatur, Pacem cū Vicinis , Imperatore in primis ac Ele  
ctore Brandenburgicō servandam, caveaturque severā lege,  
ne sub ullō prætextu aut titulō ista vel directe vel per indire  
ctum violetur. Cum verò id obtineri nequeat, nisi pæcta &  
fœdera, quæ Rempubl. cum utroque Principe conjunguntur,  
confirmentur, monendus Rex , ne ulterius tanti momentine  
goti

Gotium differendō, Reipub. metum & pericula augeat.

Deinceps, quod jam in ultimis Cracoviensibus Comitiis constitutum, dimittatur atque exauctoretur exercitus; Sed ne Gallici Svedicique Ministri eā occasione ad excitan- dam Confoederationem, aut ad conducendos milites exau- ctores abutantur, primum solvatur Militi stipendum de- bitum, grave id Reipubl. sed salutare, & cum inæstimabili commodō coniunctum, cum inde securitas ac quies publica pendeant. Porrò severissimè statuatur, quod, quicun- que absque scitu aut jussū Reipubl. externæ militiæ, in primis pro Galliâ ac Sveciâ, contra Vicinos, Amicos & Fœderatos Reipubl. nomen dederit, eō ipsō famâ, dignitate, honoribus & vitâ ipsâ privari, ac sacer esse Reipubl. debeat.

Quod si exauctorio exercitus præpropera videa- tur, nondum firmatâ prorsus cum Turcis pace, detur Regi licentia, si id necessitas jubeat, convocandi per solita Univer- salia totam Nobilitatem ad Rempubl. defendendam; Quam- vis Episcopus Massiliensis id pro conventu tumultuosô ha- beat, firmum tamen semper in eō invenit ac habuit Respubl. præsidium. Denique cavendum, ne Gallici Svedicique Ministri ulterius Reipubl. graves sint, neve se Patriæ rebus immisceant, aut eas turbent. Hæc Nobis curanda, aut tristia quævis patienda erunt. Haec tenus plus fatis negligenter egimus; Torpere ultrâ, & polluendam perdendamque Rempubl. relinquere, sopor & ignavia videretur, etiam si Nobis quam inhonesta, tam tuta Servitus esset.

